

dubio pro dote pronunciandum *l. 85. pr. de R. J.* Sed fa-
 vores tales tum demum adhiberi debent, cum decisio aliter ha-
 beri non potest, quod contingit aliquando in dubiis facti, &
 de iis intelligenda *d. l. 85.* non in dubiis juris, qui semper tan-
 dem accuratè decidi possunt. *supra §. 11.* Quare accuratè
 sic dicendum: in talibus casibus regula: *si vinco vincentem te*
 &c. non fallit; quia nullus alterum vincit in effectu, mutua
 victoria propriè non victoria, sed paritas appellatur. Cù igitur
 vincat singula & vincantur à singulis per latus singulorù,
 omnia erunt paria. Conceditur igitur regula, consequentia
 seu major. *Si vinco vincentem te vinco te ipsum;* negatur ap-
 plicatio, & antecedens, seu minor: **QUOD vincam vin-**
centem te, quia ab ipso iterum vincor per latus tuum, qui alias
 me vincis. Vulgò sic limitant: *Cum vinco vincentem te,*
te ipsum vinco; dummodo idem sit modus vincendi. (v. g. U-
 llyses Ajacem vicit, Ajax aliquando Hectorem, Ergonè & U-
 llyses Hectorem? quod falsum est. Quia Ajax Hectorem
 tunc fortitudine, Ulysses Ajacem eloquio.) *Gloss. ad d. l. 14.*
D. de div. & temp. prescript. Gl. Petrus & Cynus ad Auth. Licet.
C. de nat. lib. lit. m. Joh. Andrea Bononiensis in addit. ad Gloss. c.
7. de concess. prab. in 6. Oldrad. consil. 189. fol. 52. Bart. ad d. l. 14.
ad d. l. 16. qui pot. in pign. & ad d. l. 2. D. ad Scf. Tertyll. Abb. &
Felin. in c. pastoralis in pr. de Off. Ordinar. Lambert. de Rampo-
nibus in d. l. 16. Salicetus in Auth. quo jure. C. qui pot. in pign.
Roman. consil. 436. & consil. 28. lib. 4. Covarruv. var. Resol. I, 7.
n. 3. Everhard. Loc. Legal. à primo ad ultim. Donellus ad l. assi-
duis. C. qui pot. in pign. n. 9. in med. v. Sed hoc dictum tunc lo-
cum habet. Joh. Robertus lib. 3. Animadvers. c. 14. fin. v. quòd
illi regula tunc locus sit. Andr. Rauchbar. p. 1. q. 4. n. 33. Jo-
sias Nolden de Star. Nobil. c. 10. n. 107. Dissentiunt rectè, licet
obiter tantùm, Berlich. p. 1. concl. 49. n. 17. Dn. Carpzov. p. m.
p. 1. const. 28. def. 175. n. 7. Et certè limitatio ista incongrua
 C 3 est,